

## APPENDIX.

## LYGEUM.

## NOVUM PLANTÆ HISPANICÆ GENUS.

Tab. II.

SPARTUM herba alterum *Clus. hist. 2. p. 220.* diu inter Gramina obscuritate sepultum jacuit, nec quantum scio ab alio quodam Auctore autopta post Clusium descriptum fuit, nisi a solo Tournefortio, qui illud novo solum nomine indigitavit; adeo ut ad hæc usque tempora adcuratior notitia fructificationis inter desiderata fuerit, quam singularem esse ex spatha aliisque indicis non obscure divinarunt Botanici. Mihi nuper visa planta, scrutatisque flore & fructu, Genus proprium & novum agnovi, cujus descriptionem subijcio.

## CHARACTER NATURALIS.

- CAL. *Spatha* monophylla, convoluta, acuta, fructu maturo deorsum dehiscens, persistens.
- COR. germiini insidens, composita, biflora; *flosculis* æqualis situs, biglumibus, persistentibus.
- Gluma exterior* oblonga, acuta, convexa, minor.
- Gluma interior* linearis, angusta, membranacea, dorso plano, exteriore duplo longior, apice bifida, acuta.
- STAM. (singuli flosculi) *Filamenta* tria, tenuissima, planiuscula, longa. *Antheræ* lineares.
- PIST. *Germiina* sub receptaculo oblonga, singuli flosculi solitaria, *crusta* ambobus flosculis communi hirsuta biloculari comprehensa. *Stylus* unicus, simplex, planiusculus, longus. *Stigma* simplicissimum.
- PER. *Crusta* oblonga, dura, tenax, integerrima, hirsutissima, coronata corolla, bilocularis, non dehiscens.
- SEM. solitaria, lineari-oblonga, hinc convexa, inde planiuscula, semper clausa.
- OBS. I. Notæ Essentiales & particulares hujus generis mihi visæ sunt.
1. *Calyx* Spatha.
  2. *Germiina* sub receptaculo, inter Corollam & Spatham.
  3. *Semina* crusta non dehiscente biloculari prædita.
  4. *Glumæ* structura graminearum, sed *Stylus* unicus.

OBS.